

III.
REGNUM MORTUORUM.

Nro. 20.

Politica Mortuorum Colloquia.

Elysium-Meum.-Die Veneris 7. April. 1809. (Neov. 21. Mart. 1809)

Ostendit —

quid Marte possit:

Horat.

Valdicitio Martis ex Olympo.

Solennis & memoratu dignus hodie agebatur in Olympo dies — quem Dii insident. An fortassis Causa æquinoctium, quod dies noctibus exaequantur? Minime — est hinc usitatus immutabilis Universi Cursus; O! Mavors sedem Deorum conturbavit, strepitum edebat, adparatus ciebat, eo consilio — ut planetæ, terræ, iram suam, horrendum bellum infundat. Bella heu! horrida bella!

Vix martialem strepitum intellexerunt Gratiz, cum a bona Dea Pacis animatæ adcurrerent, ei blandirentur, ad eum demulcendum artes omnes adhiberent, verum irritus omnis Conatus! nec artem nec magiam infascinantium virginum audiebat, nulla Gratiarum aliam ei mentem indere valebat, ipsa nova Dea Politica eum mitiorem reddendo impar erat; Bellum iterum iterumque bellum! personabat ex omnibus regionibus Olympi, horridus loricam induit, fulgentibus oculis &

minaci vultu Deam pacis contuitus, truce
lento modo Gratias statione decedere ju-
sit, terribili voce exclamans: Bellum! bellum!

Neptunus, Corona Nympharum discin-
ctus, bello exiit. Dominor, ajebat, maribus
& aquis, namque mihi imperium fluctuum
sævumque tridentem sorte dedit pater; Ma-
vors viderit, ut res suæ habituræ sint, me-
quidem in fluctibus & undis, elemen-
o meo dominantem assequetur nunquam.

Interea Apollo, qui morali titus inde-
pendentia magno lusui modicorum animorum
affectum spectatorem se præbuit (etenim omni-
um quæ ad hoc tempus in populorum thea-
tris gesta sunt, & gerentur nihil aliud sunt,) qui nec Coronas lucrifactor, nec eas am-
missurus tranquillam artium solitudinem pro
nullo diademate vendendi animum habebat,
Apollo inquam tranquillæ exitum lucræ
tamultuosæ opperiebatur, spirituque suo
super fero tumultu hominum & gentium fe-
rebatur, quæ articuli temporis emolumento
adhærent, interea is nutu suo vastum Univer-
sum metitur, eoque & præteritos & futuros
eventus complectitur; ab hoc Clio Dea jussa
est historiam incuntis belli sub Censura scri-
bere.

Sinamus, ajebat is, sinamus solitudini va-
canti Dæ Historiæ, simplices quas sequitur
rationes, judiciumque de eventis, prout sunt;
nihil rectoribus populorum destruunt, quam-
vis in politica eorum usum non præbeant;
Potens gladio dominari potest, at potentem

gladiumque ejus excellit superatque historiæ
 stilus eumque favore dignatur suo, deque
 eventis rerum statuit, quantumvis ea mutan-
 do non sit.

Mars inter hæc ensem protraxit, & mi-
 naci vultu Olympo excessit, irruens in meri-
 dionalem Europæ partem ait: Adsum, bel-
 lum erit, Classicum cano.

Facile illucet, quantopere Incolæ sub-
 lunaris planetæ nostri conspectu furioso belli
 Dei perculti sint, mutuo anxii ex se quære-
 bant: Ubi igitur est bellum?

G a l l i a.

Pro dignitate Præsidis Americanæ reipu-
 blicæ D. Madison suffragiis 122 prævaluit
 Pinkney 48, Clinton 6, habebat: Pro digni-
 tate Pro Præsidis D. G. Clinton 113 R. King
 48. Monroe 3 vota censuit.

Parisiis die 17. Martii. Monitor Rambo-
 villis de 14 h. hæc nunciat. Gen. D. An-
 dreossy Gallicus Vindobonæ legatus, cum
 venia discedendi Parisios adpulit, interea
 suum legationis Secretarium Dodun remane-
 re jussit negotia Viennæ curaturum. Mox
 post adventum suum in urbem Rambovillas
 se contulit, ubi longo cum Imperatore ser-
 moni indulgit; — Colonellus Gorgoly Adju-
 tor Imperatoris Russiæ hodie mane isthuc ad-
 pulit, Calendis Martiis Petropoli discoessit, eum
 singulari velocitate proficisci oportuit. Ipso
 adventus articulo Imperator venatui Cervor-
 um se accinxit, cui D. Gorgoly eques inter-
 fuit. Eodem die prandio apud Suam Maj.
 exceptus est.

Foedus Rhenanum.

Monachio de 15. Martii. Hodierna nocte Cæsareus Austriacus legatus plena rerum cum potestate instructus D. Comes a Stadion isthinc discessit, ut obtentam ab aula sua ad aliquot menses discedendi veniam in suam utilitatem convertat.

Carolina die 19. Martii. Heri pomeridiano tempore isthuc adpulit Imperii Mareshalus Massena & militaribus honoribus exceptus est, ex ædibus postæ, ad quas divertit Carpentio aulico ad Serenis. M. Ducem Colloquii habendi causa vectus est, vespere in aula fuit conventus aulicorum. Hodie mane comitante Hussarorum Cohorte D. Mareschallus Pforzhemium perrexit, ibidem stationem habentes Copias lustraturus. (Pforzhemio iter Ulmam prosecutus.) Serenis. Dux Holstato Oldenburg. Petropolim iter faciens die 13. h. Berolinum transiit.

H o l l a n d i a.

Amstelodamo 16. Martii. Regia Majestas ex suo beneficia dispartendi causa (ut vere potest dici) suscepto itinere isthinc expectatur; ubivis locorum preces & querelas ipse excipit, ubivis concordiam & animorum consensionem reduxit. Præcipue in provincia Trans Isalana ejus præsentia memorabilis fuit, in qua lites Catholicos inter & Protestantibus ob principem sacram ædem intercesserant solita animi bonitate & sapientia sua utriusque partis adquiescentia composuit.

Die 12. Edictum ad Consilium Status & Collegium fer. leg. evulgabat: quo eos certiores reddit: Imperatorem & Regem Gallie Ducatum Bergæ & Clivie filio suo Napoleoni Ludovico contulisse, Epilogus seqv. verbis absolvitur." —

„Natio ex hac dispositione innegabile argumentum affectus fratris mei Gallieque in nostrum regnum intelliget, & id ipsum rumoribus & disceris Intricantium & rudium hominum silentium imponet."

Demta lana, cujus pretium nonnihil laudum est, Commertium nostrum ad internum solum restringitur, Coffeæ commercium debile est, cum Sacharo magis proficit.

M i s c e l l a n e a.

Pragensis Supremi Officii Postæ Ephemerides de 27. Martii in argumento excessuum Gallicanarum Ephemeridum intuitu Bohemie has texunt animadversiones:

Diarium Imperii relationes de novissimis patrioticis eventis Ephemeridibus Austriacis contentas carpere traducereque non desinit. Sub titulo Francofurto de 6. Martii Pragensibus paginis publicis objicitur, eas perinde ac Vindob. & Posonienses novellas Classicum intonare ad nationem a socordia excitandum, dubitari de fervoris & alacritatis realitate, qua omnis generis & status in regno ter amato principi se adjungunt, ad Consilia ejus ad nostram salutem directa omnibus viribus adjuvanda. — Quisquis occasionem nactus excelsum fervorem magnanimatorum factis

nobilium clarorumque Bohemorum adveniente eorum principe animadvertendi, is non poterit animo non convinci: inter nos nequam stentoriam novalisticam tubam deposci ad sacram patriæ amoris flammam accendendam nosque ad nobilissimam patriæ salutem ferendi fœdus uniendos. Gentes Austriacæ Civitatis systematis inmarcescibilia alacritatis viriumque intensionis monumenta provocare possunt. Genius Europæ eas ex tempore Seculi XVI ad tuendam libertatem Europæam adversus Ortum & Occasum elegit. Intra 209 annorum periodum (ab anno videlicet 1592—1801) hæc unio populorum, cupiditate occupationum accensorum vicinorum turba circumdata 131 annum bellicum numeravit, ter integralis eversio hujus amico fœdere colligatæ, reciproca energica ope in frequentibus periculis sanctione firmatæ, Unionis decreta est, at universæ testabatur Europæ: suam fortitudinem armorum potentia non minus quam seductivis insurrectionibus profanorum discordias excitantium obniti posse. Natio, quæ in Annalibus magnorum orbis eventuum id modi factis se manifestat, eminent illa objectione: afflictam patriam artificiosis egere mediis ad eam accendendum ad sui defensionem. Bohema Juventus vocem dilecti sui, saluti ejus sedulo vacantis principis secuta est, eo qui ei natus, erga bonum excelsumque ardore, edocta de instante sibi periculo animo deliberato ad vexilla ejus convolant, & audaci quavis obnuntantur hosti. Eorum

duces ii Nobiles regni, quorum honorem hodierna in historia adeo male audiens diarium per calumnias defœdare conabatur; per Sæcula humano Clementique regnantis suæ Domus sceptro felicitatem adeptæ, toties temporibus difficillimis innumeris impensis ab extero jugo defensi, candore, fortitudine, periculis invicti nullis minis frangibiles Bohemi grati animi vice communi hosti quovis tempore documentum daturi sunt; dignos se fuisse ut magna nobiliaque celebris illius popularis fœderis facta partiantur. Eorum propensio in eorum excelsum Principem tam inconcussa perseverabit, quam iis recordatio indefessæ ejus ab Excelsis majoribus hæreditate acceptæ sollicitudinis pro eorum salute indelebili nota impressa est.

Excerpta litterarum de 17. Martii 1809 etc.

Constat D. V. cum aviditate cuncta arripere, quæ externæ Ephemerides ex aliquo tempore de nobis miseris Austriacis in vulgus sparsere. Elegans ad hanc Collectionem argumentum suppeditabit Eidem Conceptus in Diario Imperii de 5. Martii 1809, in quo strenui patriæ defensores nostri ceu collectitia, cruda, miseratione digna hominum Coluvies describitur, miserisque Incolis Vindobonæ compatitur auctor: rabidos lupos ad portam urbis penetrare, imo ipsos milites ad Calceos usque ab iis devorari.

Quid ad hæc Amicitia Vestra? profecto hoc memorabile est argumentum, quo priora hujus generis confirmantur. Sane: Clarissimo Ephemeridum scriptori (quis fortem Geofroy non nosceret) æternæ gratiæ agendæ sunt. Quamquam vix mente concipi possit: ut tam subita conversio in beato Austriæ Climate & ejus metropole locum habere poterit, ut ea intra aliquot hebdomades in luporum speluncam convertatur, & ut fieri possit: quod collectitia hominum turba vires exercendi animum habeat, in loco, in quo rapacium horum animalium armenta sedem fixere? — sed satis: adsunt malefaustæ bellæ, Domino Ephemeridum auctore vadamonium præbente, cui nos fidem dare cogimur, etenim: qui fieri posset, ut Clarissimus Ephem. scriptor eo impudentiæ prolabatur, ut tam enormia mendacia cudat? Penetrant ad ipsas Urbis portas, faucibus sævis uno biatu præstantes nostros hauriunt milites solis in rei memoriam Calceis relictis — quare non mirum instante, impendente tam gravi periculo, totam regionem provocari, armis instrui, ad dispellendos tam ingratos hospites, eorumque ulteriorem adventum avertendum; quis etenim, amabo, lubenti, prompto & absrenitente animo a lupis pilorum & cutis tenus se devorari sineret? —